



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 12. Cæsaris responsum ad Papæ nuntium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

ptanda Protestantibus locus detur. De-Sæcnl XVI.
 nique Nuntius Cæsari exponere erat A.C. 1550.
 jussus, quod Pontifex de mutuo erga
 se Imperatoris affectu persuasus eidem
 Concilium ad urbem Germanis adeo
 opportunam transferendo faveret, &
 vicissim sibi a Cæsare polliceretur, quod
 is hanc animi sinceritatem, promptam-
 que obsequendi voluntatem pari studio
 compensaret, nec tunc, si quis pia utrius-
 que consilia evertere moliretur, male
 verteret, quod Papa ad auctoritatem, Se-
 disque Apostolicæ honores tam intra,
 quam extra Synodum propugnandos
 adversus ejusmodi pacis turbatores re-
 mediis utatur.

§. XII.

*Cæsaris responsum ad Papæ
 Nuntium.*

Post hæc Imperator hæcæ propositio- *Pallav. l. II.*
 nes maturo examine ponderans *c. 9. & 10.*
 hunc in modum respondit: *Ingenuitas,*
& prudentia Pontificis mihi summopere
probat, eo quod perspecta publica necessita-
te Concilii Tridentum convocandi, ratio-
nem idoneam repererit, qua commode eo re-
mitteretur, lite super translationis æquitate
repudiata, utpote fastidiosa, ardua, & ad
nullam rem utili. His addidit: quatuor con-
siderationes mihi videntur graves, & jure
 K 3 pro-

Sæcul. XVI. *propositæ, de rebus Gallicis non laudo modo*
A.C. 1550. *consilium ipsius, sed opem quoque meam, &*
operam libenter offero, ad securitatem om-
niem Regi Gallorum præstandam, nam
æquissimum est, ut in sumptibus supervacuum
vitetur, Patresque post apertum Concilium
otia agere non permittantur. Jam anno
superiore decretum Augustæ factum, ut
Germania universa, etiam ipsi protestantes
se Synodo subjiciant, cujus exemplar Nun-
tio dandum curavimus, illudque in Conven-
tu Ordinum, qui jam instat, confirmare
cogitabimus. Præterea nobis non videtur
tempestivum, Synodi decreta in præsens tra-
ctare, ne in dubium revocentur, quæ Tri-
denti hætenus definita; illud enim magis
opportune fieri poterit, postquam Conci-
lium in eam urbem convenerit. Ceterum,
quod ad auctoritatem Pontificis, sedisque A-
postolicæ attinet, sicut eam antea protexi-
mus, ita dehinc ejus protectores erimus, cer-
tumque habemus, omnibus viribus & copiis,
ac vita ipsa, si opus sit, eam tueri, &
defendere: non est autem potestatis nostræ
promittere, in Synodo nihil ab ingenio irre-
quieto dictum, tractatumve iri: hoc tamen
spondemus, si quid tale evenerit, nos tam
fortiter repugnaturos, ut operam nostram
Pontifex sine dubio sit approbaturus tam
intra, quam extra Concilium.